



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Asella Virgo. 7. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

S. ASELLA VIRGO. 7. Decembris.

**F**elix ASELLA pater, cui Superi filiam, prius quam nasceretur, lymphâ crystallo clausam spectandam obtulere, ut jam tum animi castissimi sive candorem sive splendorem miraretur! Sed felicior ipsa ASELLA, quæ in primâ ætate Agno jam nupta thalamum in parentis domo cellam angustam, lectrum terram, delicias cum sale paneim & fontanam habuit. Atque ad has nuptias post annum ætatis duodecimum, ut munidum muliebrem non inconvenientem sibi pararet, torqueum aureum, quem pro more familiæ (nobilissima erat) e collo pendulum gestabat, clam vendidit, emitque qualém à matre exorare numquā poterat, vilem & pulli coloris vestem, omnibus hâc testata jam mundo se mortuam esse. Ita deinceps unius Christi amoribus vacare, hunc lacrimis poscere, anhelare gemitibus, precibus orare, jejunii cogere; domo interea nisi ad tempia, numquam pedem efferre; verbo ut genibus ita vitæ consuetudini callum obducere, jamque raro sola agere; & patrias ædes sibi in monasterium vertere. Constitit interea corpusculo et si tam male habito suus nihil dominus vigor & integra semper valetudo,

7. Dec. VITÆ SANCTORUM. 769  
do, ut videres non tam asperitatem vi-  
tae, quam delicias obesse. Obiit anno par-  
tae salutis cccc. l. Vitæ laudatorem ha-  
buit Hieronymum; imitatorem quem  
nunc. Ex D. Hier.

Beati qui in Domino vigilant cum sobrie-  
tate & castitate: protegentur enim ab eo in  
judicij die, & ut sponsi comites atque ami-  
ci cum gaudio & latitiâ eum sequentur &  
afficiant. S. Ephrem in Beatitud.

S. AMBROSIUS EP. 7. Decembris.

A M B R O S I I infantis osculum apes  
ajunt insedisse, verissimos ejus elo-  
quentiæ vates. Deprompsit sanè, cùm  
libuit, ore suo melos, & hoc adeò ip-  
sum Augustinum inescavit, ut qui à Ma-  
nicheis venenum hucusque hauserat, ex  
ore deinceps A M B R O S I I mel legeret.  
Episcopum Mediolani prodigiosus præ-  
co infans proclamavit. Dicenti ad po-  
pulum astare bonum Angelum ipsi hæ-  
retici viderunt & inviderunt. Inter hos  
multum illi negotii Arriani, plus Impe-  
ratrrix Iustina, latrones, magique, plu-  
rimum dæmon malus fecit, sed incas-  
sum omnes. Majestatis Pontificiæ me-  
mor, neque majestatem Imperatoriam  
exhorruit. Itaque Theodosium ob cæ-  
dem Thessalonicensem publicè reum  
non nisi post publica poenitentis animi

Ccc. signa